



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Festis Sanctorum mense Octobri. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

& Lectione quarta patet, & sequentibus: & quia Dedicatio hæc in monte Gargano facta fuit in Michaëlis & Angelorum memoriam, vt expressè dicitur in Lectione sexta Festi Apparitionis die 8. Maij. Officium Missæ habetur in Antiphonario Gregoriano. Si occurrat hoc Festum in Dominica, conuenit, vt octauæ Lectioni iungatur nona, quæ de Angelis agit.

30. Hieronymi. In Sacramentario Gregoriano, cum diuersis tamen Orationibus Missæ. Ex Decreto Bonifacij VIII. Duplex. Pius V. mutauit Lectiones omnes.

*De Festis Sanctorum mense
Octobri.*

CAP. XII.

Festum Rosarij debet vbique & perpetuò celebrari in ijs Ecclesijs, in quibus adest Altare seu Cappella Rosarij B. Virginis, Duplici maiori Officio in prima Dominica Octobris, quæ scilicet occurrit in Calendis, vel post Calendas, ex Decreto Gregorij XIII. die 1. Aprilis 1573. Officium recitant Bononienses de Natiuitate, mutato nomine in *Festiuitate*, quod non improbamus. Certè melius, vt in Festo ad Niues, cum Lectionibus 2. Noct. de Natiuitate B. Virginis, mutato verbo *Natali* in *solemnitate*: minùs enim cohærent Antiphonæ & Responsorialia Natiuitatis Festo Rosarij, quàm Festo Visitationis & Præsentationis B. Virginis; & tamen hæc duo Festa non habent ampliùs Officium de Natiuitate, mutante Clemente VIII. in Officia quæ hodie habentur. Quibus autem placet officium Natiuitatis, pro ijs verbis, *Hodie nata est*, dicere poterit, *Hodie*

Festum est B. Virginis. sed verè dissonat illud, *ex progenie David*, à voce *Festi*. Vide quæ diximus in primo Tomo par. 4. titulo 15. num. 22. pagina 291. Nota, quòd in secundis Vesperis, si concurrant cum Angelis Custodibus, Vesperæ integræ erunt de beata Virgine, cum commemoratione Angelorum custodum. Habent enim Festum Rosarij integras vtrasque Vesperas; quia Gregorius celebrari voluit ritu Duplicis maioris, vt diximus: & vbi fit hoc Festum, legatur de eo in Martyrologio primo loco.

Occurrit non rarò dies Octaua Titularis Ecclesiæ S. Michaëlis, S. Hieronymi, & aliorum, in Dominica 1. Octobris, in qua Rosarij Festum à Clero eiusdem Ecclesiæ fieri debet, Officiumque de eodem recitari. Et sicuti dies Octaua non potest transferri, ita neque videtur transferri debere Festum Rosarij, quod à die 7. Octobris in primam Dominicam eiusdem ex professo transtulit Gregorius XIII. vt Officio populus intersit, *ex Bulla cit. supra*. Quodnam erit igitur Officium recitandum? consultus respondi, recitandum esse Officium de Rosario cum commemor. diei Octauæ, & Domin. 1. Octobris; tum quia, dum neutrum transferri potest, vt dixi, Festum Rosarij est Duplex maius, Octaua verò Duplex minus: tum quia Festum Rosarij est Deiparæ: tum quia Festum est de præcepto vniuersalis Ecclesiæ, *ex Bulla Gregorij*; dies Octaua est de præcepto in particulari Ecclesia: tum quia sacra Rituum Congregatio in honorem B. Virginis decreuit, à Clero Regij fieri Festum Visitationis B. Virginis in die Octaua S. Prosperi Patroni loci, vt supra scripsimus Sect. 3. c. 12. num. 20. licet potuisset, & leuissè ex

vi Rubricarum transferri Festum Visitationis: at Rosarij Festum à Dominica non est dimouendum.

De Festo SS. Angelorum Custodum concessit Paulus V. 27. *Septembris anno 1608.* posse fieri Officium Duplex à se approbatum ad libitum Cleri, prima die non impedit Officio nouem Lectionum, post Festum Dedicationis sancti Michaëlis. Dixit *Officio* in titulo eiusdem Officij in editione Romana Egidij Spadae anno 1612. vt intelligas, Festum Angelorum Custodum cedere debere Officio Dominicae: & eò magis, quia si prima die, & in Dominica occurreret hoc Festum, in praedictis Ecclesijs Rosarij, de Festo sanctissimi Rosarij, quod est nobilissimum, faciendum esset Officium. Item dies infra Octauam, puta sancti Hieronymi, vel sancti Michaëlis Archangeli, sicuti est Officium nouem Lectionum; ita excludit à tota octaua Festum Angelorum Custodum.

Dices: In Decreto sacrae Congregationis Rituum dicitur, *Prima die non impedita Festo nouem Lectionum;* ergo non cedit Dominicae. Resp. Eandem sacram Congregationem declarasse, nomine Festi nouem Lectionum, etiam Dominicam intelligi, 12. *Marty 1618.*

Quaeres adhuc: An Festum Angelorum Custodum sit Duplex maius, ita vt habere debeat vtrasque Vesperas integras. Dicebam esse; tum quia in Rubricis generalibus de *Concurrentia Officij num. 2. in fine,* Festa Angelorum praeposuntur Apostolis, hoc est, non modo Michaëlis, sed etiam Gabrielis, & Raphaelis, quae apud multas Ecclesias celebrantur; & à fortiori Angelorum omnium Custodum, quorum Festum colimus vno die: tum quia

Festum hoc videtur maius quam Apparitionis sancti Michaëlis, ex pluralitate Angelorum Custodum: & quia in Apparitione miraculum tantum celebramus; in hoc autem Festo personas ipsas Angelicas & innumeras vnà simul honoramus. At Apparitionem esse Festum maius, & habere vtrasque integras Vesperas, nemo non nouit: tum quia licet hoc Festum sit ad libitum; tamen posito, quod recitare velimus Officium, ad Rubricas generales seruandas tenemur; sicuti Missam, quam non tenemur quotidie celebrare, si tamen celebras, iuxta Rubricas celebrare debes: tum denique quia, si sanctus Hieronymus amitteret eo casu vtrasque Vesperas; etiam S. Gregorius Nazianzenus eius praceptor amittit primas Vesperas nobiliores secundis, nempe in secundis Vesperis Apparitionis. His tamen non obstantibus, & ritè consideratis, in gratiam S. Hieronymi, ne amittat vtrasque Vesperas; & quia Festum Angelorum Custodum fuit concessum fieri ex deuotione, non ex praepcepto, decreuit sacra Rituum Congregatio *die secunda Octobris 1627.* esse Duplex minus, & diuidere Vesperas cum sancto Hieronymo, & cum quocumque alio Duplici, si alicubi concurrat post primam diem Octobris. Lectiones primi Nocturni omittuntur, si legendum sit initium Esther.

Ad Octauam Lectionem dicitur, *Quorum Festum colimus:* nam titulus, & Oratio est de pluribus, & vnusquisque intendit venerari suum Angelum in Choro vnà cum alijs. Qui solus recitat Officium, adhuc dicat, *Quorum Festum colimus, &c.* non, *Cuius Festum colimus, &c.* Quod postremum docuit recentior, minus aduertens, quod vni

reci-

recitanti neque conuenit *colimus* in plurali, si verborum vim attendimus. Si fiat Officium prima die Octobris, octauæ Lectioni adiungerem Nonam, quæ magis est propria Festi. Vbi fit hoc Officium in Lectione Martyrologij legatur primo loco de eodem.

1. Remigij. Dies est Translationis; obiit enim Idibus Ianuarij, ex Baron. in *Martyrolog.* Habetur Festum in Appendice Gregoriana, & in Concilio Moguntino *cap.* 36. Simplex in M.S. & 1550. In Hymno Vesper. mutatur tertius Versus.

4. Francisci. A Gregorio IX. 1228. dilatatur Festum à Sixto IV. 1472. in Missali Vaticano *vol.* 4743. Duplex in M.S. & 1550. Pius V. retenta Oratione, mutauit Officium antiquius, opera Fratrum Minorum in Breuiario positum, & auctoritate Nicolai III. approbatum, vt diximus *cap.* 1. *huius Sectionis.* In Lectione 6. legitur, quod S. Franciscus in die Festo Exaltationis S. Crucis recepit sacra Stigmata; & in Lectione 4. Festi Stigmatum, ait S. Bonauentura, quod circa Festum Exaltationis id acciderit: non tamen pugnant inter se hi textus; quia tempore S. Bonauenturæ erat incertus dies, qui deinde fuit præcisè reuelatus. Lege Wadingum in *Annal. Min. an.* 1282. Festum sancti Francisci est de præcepto vbique locorum, ex Decreto Sixti IV. vt indicat Siluester *v. Dominica. num.* 3. §. *Sextum.* vbi tamen ait, constitutionem illius non fuisse moribus vrentium approbatam. Sed rursus præcepit vbique obseruari sacra Rituum Congregatio die 3. Ianuar. 1622. annuente sanctissimo: Decretumque originale ostendit mihi Io. Petrus Mallarius meus, virtutum, doctrinæ, & fortunarum heres Iulij

Benigni Aduocati Consistorialis, Primarij & vnici tunc temporis in Gymnasio Romano Doctoris, Archiepiscopi Thessalonicensis, & S. Rituum Congregationis Secretarij, de Romana Republica optimè meriti; cui & ego debeo plurimum, cum eius operi potissimum in album Consultorum eiusdem S. Congregationis relatus fuerim. Idemque Mallarius publicè Decretum Romæ curauit in Tabella de consensu Maiorum edita anno 1631. Festorum vbique obseruandorum, ex præcepto S. Romane Ecclesiæ; fauente Tegrino Tegrino, Domino meo, Episcopo Assisinate, & præfate S. Rituum Congregationis à Secretis incomparabili viro, in gratiam sancti Patroni Assisinate, quam est igitur, vt deinceps vbique gentium obseruetur.

5. Placidi & Sociorum. In Breuiar. Vaticano *vol.* 4760 restituit Sixtus V. anno 1588. Simplex ab eodem. mutauit Orationem Clementis VIII. non dicitur Resp. *Hæc est vera fraternitas.* Vide infra *Sectionis. cap.* 2. *num.* 9.

6. Brunonis. A Gregorio XV. *de* 17. *February* 1623. Semidupl. cum Officio ab eodem 6 *May* 1623. in Lectione Martyrologij ponatur primo loco. si transferatur, mutatur in Hymno Vesp. tertius Versus.

7. Marci Papæ. In Antiphonar. & Sacramentario Gregor. à quo initium primæ Orationis, & vltimam Missæ Orationem habemus: omnes autem leguntur in Codice Pameliano.

SS. Sergij, &c. In Appendice Greg. Simplex in M.S. & 1550.

8. Birgittæ. A Gregor. XV. & 8. Aprilis 1623. approbatum est Officium cū ritu Semiduplici, Oratione, & Le-

tionibus proprijs ; Decreto S. Rituum Congregationis ; recitandum quidem die 7. Octobris, in qua fuit illa canonizata, vt in Bulla Bonifacij IX. sed Vrbanus VIII. ne Missa S. Marci Papæ in Missali deleteretur, iussit hac die octaua, annuente Polonia Rege, celebrari Festum; in Polonia vero, vt prius, die septima. Cuius obitus contigit die 23. Iulij impedita Festa S. Apollinaris: vnde & in Martyrologio quoque recognito translata est lectio de eadem in hanc diem Octobris octauam. Acta sunt hæc anno 1628.

9. Dionysij, &c. quem Athanas. de Synod. Nicænæ de cr. appellat Theognostum. habetur de eodem in Antiphonar. Greg. sed post Gregorium, ex Pamelio; qui ait esse Gallicanum Officium: nam ortum habuit in Gallia à tempore Ludouici Pij, & Amalarij, ex *Epist. Hilduini ad eundem.* de generali consuetudine testatur Radulph. *Propos. 17.* Simplex in M.S. & 1550. Semidup. apud Radulph. Quem ritum restituit Pius V. mutauit autem Euangeliū cum Hom. Clemens VIII. Officium Missæ aliud est ab Antiphonario Gregoriano.

14. Callisti. In Sacramentario Gregor. cum omnibus Orationibus Missæ. Semidupl. ex *Microl. cap. 43.* Romæ tantum, ex Radulph. *Propos. 22.* Simplex in M.S. & 1550. Semiduplex Pius V. instituit vbique. Clemens VIII. mutauit Euangelium cum Homilia. Officium aliud est Missæ in Greg. Antiph.

18. Luca Evangelistæ. Martyr à S. Paulino *ad Senecrum Epist. 12.* reputatur. Metaphrastes in hoc Festo conuersionem habuit. In Sacramentar. Greg. habetur cum omnibus Orationibus

Missæ, quarum prima est Ambrosiana. Decreto Bonif. VIII. est Duplex. à Pio V. Duplex secundæ classis.

21. Hilarionis. In Appendice Greg. Simplex in M.S. & 1550.

Vrsulæ, &c. In quinto saculo, hoc est, anno 500. indictum esse Festum, ait Iac. Philip. Bergomens. citatus à Schultingio. in Missali Vaticano *uolum. 3808.* Officiū solemne proprium totum in Breuiar. 1550. Pius V. commemorationem decreuit. Si adsit alicuius ex his Virginibus caput, aut insignis Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea Officium Duplici ritu, sumpta Oratione de Comuni in singulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Callisto, & alijs) & fiat commemoratio S. Hilarionis, & SS. Ursulæ & sociarum; nisi aliud à Maioribus concedatur, aut legitime præscribatur.

25. Chrysanthi & Dariæ. In Appendice Gregoriana. Simplex in M.S. & 1550. Officium creditur compositum à Varino & Armeno fratribus ordinatis Presbyteris à sancto Stephano; qui Vitas eorum ad omnes Ecclesias direxerunt. Hæc Cornel. Schulting. Ex quibus facillè conijcitur, Festum indictum esse quadringentis annis ante S. Gregorium.

26. Euaristi. In Missali Vatic. *uolum. 4743.* Semid. ex *Microl. cap. 43.* Romæ tantum, ex Radulph. *Propos. 22.* Simplex in M.S. & 1550.

27. Vigilia SS. Simonis & Iudæ. Vide in Vigilia S. Andree. In Comite S. Hieronymi habetur Euangelium. Homilia à Pio V. Missæ verò Officium in Antiphonar. & Sacramentar. Gregor.

28. Simonis & Iudæ. Dicitur vt de Festo S. Andree. Pius V. inno-
uauit

uauit Officium, Oratione excepta. Euangelium idem, quod in Comite S. Hieron. Officium Missæ, vt in Antiphonario & Sacramentario Gregoriano. Si contingat eos diuidi, quia alter tantum Titularis est Ecclesiæ, iuxta Rubricam quæ habetur supra Sect. 3. cap. 10 num. 11. tunc pro S. Simone legatur in primo Nocturno de Comuni Apostol. referuata Lect. Ep. Iudæ eidem, qui est eiusdem auctor, vt Sect. 5. cap. 12. num. 15. pag. 86. significauimus. Vide quæ diximus in prima die Maij pag. 147. At quia Lectio quarta non potest diuidi, ea legatur in Festo Titularis, & iterum in Officio alterius translaci, sicuti etiam Euangelium cum Homilia. Lectiones quinta & sexta variari possunt, vt in Comuni Apostolorum. Pro varianda Oratione, sumi potest Oratio Vigiliæ in numero singulari, & mutatis verbis, *præuenimus in celebramus, & præueniant in imploret.* sed in his casibus consule sacram Congregationem, vt aliquid proprium concedat.

31. Vigilia Omnium Sanctorum. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano habentur Orationes cum Officio Missæ; sed posterius est sancto Gregorio, ex Pamelio. Concilium Oxoniense & Beda meminerunt.

*De Festis Sanctorum mense
Nouembri.*

C A P. X I I I.

OMnium Sanctorum. Ordo Romanus habet hæc verba noranda: *In Calen. Nouem. & per totum orbem plebs vniuersa, sicut in die Natalis Domini, ad Ecclesiam in honorem Omnium Sanctorum ad Missarum solemnia conuenire studeat;*

*illud attendentes, ut quidquid humane fragilitatis per ignorantiam aut negligentiam in solemnitatibus ac Vigilijs Sanctorum minus plene peregerit, in hac obseruatione sancta soluat. S. Cyprianus Epistola 34. docet, natalis Sanctorum annua celebranda esse cum Missæ Sacrificio; sed quia omnium Martyrum & aliorum non possunt singula celebrari (teste Eusebio citato à Beleh cap. 154. existimante, quotidie excedere numerum quinque millium) idè Bonifacius IV. instituit Romæ Festum Omnium Sanctorum hac die: quod deinde alijs orbis Ecclesijs edixit Gregorius IV. anno 835. ex Sigeberto, & præsertim Gallis, & Germanis, ex Baronio in *Annal. ad annum eundem.* Neque verò est Sanctorum Martyrum tantum hoc Festum, verum etiam Confessorum, vt in Codice M. S. se legisse ait Baron. in *Martyrol. die 13. Maij.* Habetur Festum in Sacramentario: solemne Festum in Ord. Romano. vnde Duplex primæ classis conuenienter fuit statutum. Officium à Gregorio IV. compositum esse, scribit Schultingius ex Beleh capite 127. Pius V. mutauit omnes Lectiones; sustulit primum Responsorium, & addidit octauum de Virginibus.*

In secundo Nocturno, & per Octauam, legi iussit Sermonem accommodatum Festo, quem tribuebant alijs Augustino; quod est falsum, cum ille obierit ante Bonifacium IV. Alij Odoni Abbati, de quo tamen vnicum manuscriptum habemus testem in Vaticana Bibliotheca. Nomine Bedæ à Clemente VIII. iussus est legi; quia inter eius Opera habetur, & vixit ille post Bonifacium IV. vnde & in postrema recognitione Breuiarij secuti